

**www.e-rara.ch**

## **De gemina delectatione caelesti ac terrena relative victrice**

**Veith, Lorenz Franz Xaver**

**Augustae Vindelicorum, 1785**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: R Ri 159

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-30347>

Sectio I. Observationes praeviae.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

# SECTIO I.

## OBSERVATIONES PRAEVIÆ.

---

Ex dicendis hoc opusculo quivis rerum theologiarum peritus facile dignoscet, controversiæ, quam hic discutiendam suscipimus, decisionem maxime pendere ex recta intelligentia quarundam notionum de libero hominis arbitrio (a), de efficace, aut vicissim de pure, vere tamen sufficiente gratia (b), ac hujusmodi. Quare horum exacta definitio, divisioque statim in limine hujus dissertationis statuenda est, atque distincte explicanda.

---

### CAPUT I.

#### NOTIO ET DIVISIO LIBERTATIS, AC NECESSITATIS.

##### §. I.

**L**ibertas in genere spectata est exemptio & immunitas a subjectione & servitute: eaque potiffi-

(a) Observavit id etiam in rem suam P. Anselmus Schwab (postea in Reg. Imper. Exempt. Monasterio Salemitano ad Dignitatem Abbatialem evehctus) in suo *Schiboleth Thomistico* P. I. cap. 2. num. 75. scribens: *Id mihi persuasum jam annis aliquam multis est, libertatis ignorationem causam sequens de gratia opinandi, vel hallucinandi fuisse semper potissimum* *is, qui gratiam praedeterminatricem averruncantur.* Ceterum, an nos, vel potius adversarii nostri in statuenda & explicanda libertatis notione hallucinentur, patebit ex dicendis toto hoc capite primo, maxime ex ejusdem num. 8. & seqq. (b) Idipsum patebit infra num. 162. & seqq.

tissimum quadruplex, nimirum *Libertas a peccato*, quae hominem facit sanctum; *Libertas a miseria*, quae beatum; *Libertas a coactione*, quae sponte volentem; *Libertas a necessitate*, quae ex proprio arbitrio agentem reddit. Libertas a peccato, & miseria non est admodum hujus loci: sed libertatem a coactione, & praesertim a necessitate pluribus expendendam arbitramur.

1. *Libertas a coactione* est immunitas ab omni violentia contra propensionem voluntatis illata. Hac libertate gaudet, quisquis non invitus agit, sed sponte, tametsi necessario agat; unde & *Libertas spontaneitatis* adpellatur. Hac libertate Beati amant Deum, quia non amant coacti aut inviti, tametsi ament necessario, & ita, ut non possint non amare. Hoc sensu etiam Angelicus (c) adserit, Patrem & Filium libere spirare Spiritum sanctum, tametsi haec spiratio ita necessaria sit, ut absque illa Deus non foret Deus.

2. *Libertas a necessitate*, quae etiam *Libertas indifferentiae, electionis*, vel *arbitrii* nuncupatur, est, qua quis non solum sponte, sed etiam ita agit, ut posset non agere; & a Theologis tam iis, qui scientiam mediam defendunt, quam a Thomistis (d), ac Augustinianis (e), ceterisque communiter definitur, quod

(c) De Potentia quaest. 10. art. 2. ad 5<sup>um</sup>.

(d) Praeter alios Thomistas Card. Gotti Theol. Scholasticodogmatic. Tom. II. Tract. 2. q. 2. num. 2. Sic habet: Libertas indifferentiae dicit potentiam seu facultatem ad opposita, sive contrariae, sive contradictoriae. Unde dividitur in libertatem contradictionis --- Et in libertatem contrarietatis. Fatendum tamen, quod Thomistae & Augustiniani aliter explicent verba definitionis nostrae, ac nos praesertim illa, positis omnibus ad agendum praerequisitis; prout ex sequenti num. 7. palam fiet.

(e) Certe ipse cl. Berti Tom. II. de theolog. disciplin. L. 12.

quod sit *potentia seu facultas*, quae positis omnibus ad agendum praerequisitis potest agere & non agere, non quidem potentia simultatis, sed simultate potentiae: id est, qui libere libertate indifferentiae agit, non habet quidem potentiam simul conjungendi actum & omissionem actus (haec enim conjunctio in terminis repugnat): habet tamen simul utramque potentiam vel ponendi, vel omittendi actum. Atque haec potentia dicitur *Libertas contradictionis*, quia datur ad contradictorie opposita, ad agere & non agere. Haec eadem libertas contradictionis est de essentia libertatis indifferentiae, totiesque reperitur, quoties voluntas seu creata, seu increata libere & indifferenter agit.

3. Saepe tamen accidit, ut voluntas non solum possit actum ponere vel omittere, sed insuper possit actum ponere ex hac specie, vel actum ex contraria specie, e. g. amare Deum vel odisse; & tunc datur *Libertas contrarietatis*, quia datur ad contrarie opposita: vel ut possit ponere actum ex hac specie, vel actum non quidem ex specie contraria, sed tamen ex alia & dispari specie e. g. orare, vel studere; &

A 2

tunc

L. 12. cap. 10. num. 6. inquit: *Definiri liberum arbitrium potest: facultas rationalis creaturae agendi & non agendi, prout lubet, positis omnibus ad actionem requisitis.* Et Tom. III. de theolog. disciplin. L. 14. cap. 11. num. 2. ad hanc objectionem: *Libertas indifferentiae est potestas ad agendum, vel non agendum, positis omnibus requisitis: data autem gratia ex intrinsecis suis efficaci, non remanet haec potestas: ergo stante tali gratia non manet libertas indifferentiae*, respondet his verbis: *ad primum argumentum admitto traditam liberi arbitrii definitionem; & nego, quod sub gratia efficaci non remaneat potestas ad oppositum.*

Similiter D. Ludovicus Habert Augustiniani de gratia Systematis insignis Patronus Tom. III. Theol. Dogmatico-moral. Tract. de Actib. human. §. IV. quaest. 4. libertatem arbitrii definit, quod sit *potentia activa, quae positis omnibus ad agendum praerequisitis, potest agere vel non agere.*

tunc dicitur *Libertas disparitatis* vel *diversitatis*, quia datur ad disparata seu diversa. Utraque tamen haec libertas tam contrarietatis, quam disparitatis involvit libertatem contradictionis; nam si possum amare vel odisse, orare vel studere, eo ipso possum amare vel omittere amorem, orare vel omittere orationem. Si enim odi, aut ad studia incumbo, eo ipso non amo, nec oro.

4. Porro non desunt, qui nostram liberi arbitrii definitionem, quantumvis ab orthodoxis Theologis communiter receptam, explodere & rejicere audent. Inter hos cumprimis est *Jansenius*, qui, cum admissa hac definitione totum suum de gratia Christi systema subverti videret, illam reprobatur, dicens (f): *Recentiores sibi imaginantur, illum tantum actum esse in nostra potestate, quem pro libitu nostro positis omnibus ad agendum necessariis possumus facere & non facere: qua in re, juxta Augustini sententiam creberrime explicatam, sine dubitatione falluntur.*

Cum *Jansenio* hac in re concinit alius Lovanien-  
sis Doctor *Gummarus Huyghens* (g), qui contendit, definitionem liberi arbitrii, quam nos statuimus, fuisse ignotam Aristoteli, & SS. Augustino ac Thomae. Idem de eadem definitione alibi (h) loquens, adhuc animosius sic pronuntiat: *Intrepide negamus illam definitionem; neque enim tanta vel auctoritate, vel ratione nititur, ut eam admittere vel explicare teneamur; etenim nimium propendet in Pelagianorum, & Semi-pelagianorum errores.* Ita ille. Taceo alios. Verum, quantum isti fallant, vel fallantur, sequentia docebunt.

§. II.

(f) L. 6. de gratia Christi cap. 4. (g) In compendio Theologiae pag. 12. (h) In dictatis publicis art. 1. obser. 2. vide Anton. Mayr. S. Augustinus Doctor gratiae & Libertatis. P. II. §. 3.

## §. II.

5. Nam sic argumentor: Definitio liberi arbitrii a nobis supra num. 2. statuta, non solum omnium ferme Scholasticorum consensu (i), sed etiam auctoritate S. Scripturae, Conciliorum, SS. Patrum, & ipsa naturali ratione nititur: ergo immerito carpitur, & rejicitur. conf. negari haud potest ab ullo orthodoxo Theologo. ant. vero per partes probatur.

I. *S. Scripturae auctoritate nititur.* Omissis aliis textibus, audiamus verba Ecclesiastici (l): *Deus inquit, ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & praecepta sua. Si volueris mandata servare, conservabunt te. --- Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris, porriges manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Et iterum (m): *Qui potuit transgredi & non est transgressus; facere mala & non fecit.* Quibus clarioribus verbis posset exponi concessa a Deo potestas hominibus agendi & non agendi, aut omnino agendi contrarium? eligendi bonum prae malo, vel vicissim hoc prae illo? Et fermo est his locis, quod bene notandum, non solum de naturalibus actibus, sed de adimplendis omnino praeceptis divinis, quorum non pauca naturae ordinem superant.

II. *Conciliorum auctoritate, ac imprimis Concilii Tridentini nititur, quod (n) sic docet: ita, ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens: quippe qui illam & abjicere potest.* Et (o): *si quis dixerit liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti &*

A 3

voca-

(i) Vide supra num. 2. (l) Cap. 15. (m) Cap. 21. v. 10. (n) Sess. 6. cap. 5. (o) Ibidem. can. 4.

*vocanti -- neque posse dissentire, si velit, --- anathema sit.* Itaque homo positus omnibus ad actum salutarem praerequisitis habet potentiam agendi vel non agendi, gratiae datae cooperandi, vel dissentiendi.

Firmantur dicta ex *Senonensi* Concilio in Gallia anno 1528. sub Clemente VII. celebrato, cujus inter Fidei Decreta (p) sic habetur: *Cum igitur reliquerit Deus hominem in manu consilii sui, apposueritque coram eo ignem & aquam, bonum & malum, ut, ad quodcumque voluerit, porrigat manum suam: nec abs re beatus ille dicatur, qui potuit transgredi, & non est transgressus, & facere mala, & non fecit --- ac denique percurrenti S. Scripturam passim obvium sit, quod liberum utramvis in partem hominis arbitrium adseveret, satis esse visum est &c.* Ex hac doctrina hujus Synodi non solum colligimus, homines utrumvis agere posse, atque adeo libertatem indifferentiae in gemina illa potestate consistere: sed insuper habemus, genuinam esse interpretationem sacrarum Scripturarum, quam supra adduximus.

III. *SS. Patrum autoritate nititur.* Sic S. Augustinus (q) ait: *habet unusquisque in sua voluntate, aut eligere, quae bona sunt, & esse arbor bona: aut eligere, quae mala, & esse arbor mala.* Et jam senex hic S. Doctor (r) inquit: *dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus, facimus; nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est: sed praeparatur voluntas a Domino. Eo modo ergo dat potestatem. Sic intelligendum est, & quod dixi postea, in nostra potestate esse, ut vel inseri bonitati Dei, vel excidi ejus severitate mereamur.* Quid haec verba aliud denotant, quam liberum arbitrium esse potentiam ad agere vel non agere, ad agere bene, vel male?

(p) Decret. 15. (q) L. de actis cum Felice Manich. c. 4. (r) L. I. Retract. c. 22.

male? Taceo plures alios hujus S. Patris praeclaros textus in hanc rem servientes. S. Hilarius Pictaviensis (s): *unicuique nostrum libertatem vitae, sensu-umque permittit, non necessitatem in alterutrum adfigens.* S. Optatus Milevitanus (t): *homicida potest scelus facere, potest & non facere, & cetera hujusmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.* S. Basilii (u): *quod in hominis potestate situm est liberum arbitrium, in eligendo, & non eligendo situm est.* S. Hieronymus in persona Attici, seu Catholici sic (x) loquitur: *hoc est, quod tibi in principio dixeram, in nostra esse positum potestate, vel peccare, vel non peccare: & vel ad bonum, vel ad malum extendere manum, ut liberum servetur arbitrium.* Eandem doctrinam tenet Eranodius Ticinensis (z) scribens contra quemdam, qui homines necessario peccare volebat: *quae, inquit, ista libertas est, si valet, edisserat, ubi homini datur solum velle, quod puniat: aut quare electionem nominat, ubi unam tantum partem adserit fuisse concessam?* S. Damascenus (a): *in nobis sunt ea, quorum sumus liberam adepti potestatem, & facere, & non facere.*

Plura si quis desideret SS. Patrum testimonia, apud *Bellarminum* (b) illa abunde inveniet: nobis ista plus quam sufficiunt, atque nostram communiter receptam libertatis a necessitate definitionem luculenter comprobant; dum eam omni necessitate antecedente, & ad unum libertatis extremum inevitabiliter adstringente, immunem pronuntiant, atque potestatem agendi & non agendi, vel etiam malum prae bono faciendi, secum ferre testantur.

A 4

Acce-

(s) In psalm. 2. (t) L. 7. in Parmenianum.  
 (u) Serm. de lib. arb. (x) L. 3. Dialog. advers. Pelag.  
 c. 4. (z) L. 2. epist. 23. (a) L. 2. de fide c. 20.  
 (b) Tom. IV. L. 4. de grat. & lib. arb. c. 9.

Accedit unanimi huic SS. Patrum iudicio communissimus omnium hominum sensus; qui sane nullum unquam vere liberum censent ad id, cuius vel agendi vel omittendi potestate destituitur.

IV. Sed & ipsa *Ratio naturalis* clarissime monstrat, quod revera liber esse non possit, qui non gemina illa potestate, pro libitu exercenda, sit praeditus. Certe nemo, quantumcunque sibi, & suae imaginationi vim inferat, sibi persuadebit, se liberum esse ad id, ad quod faciendum vel omittendum caret potestate. Sed nec ullus intellectus capere potest, quomodo laudem aut praemium mereri dicendus sit ille, qui bene solum ideo egit; quia aliter facere non potuit: hoc est, potestatem ad malum, vel certe ad boni omissionem non habuit. Multo minus perceptibile est, quae aequitate mitissimus alias Deus aeternis inferorum incendiis implacabiliter urat miserabiles animas, eoquod in crimina quaedam fuerint lapsae, ad quae tamen facienda vel omittenda potestatem non habuere. Et quaeso quam stolide daemon suis tentationibus mortales irrequietus incesset, si in eorum potestate non esset, pro libitu ejus suggestionibus dissentum vel assensum praebere? cur enim multis urgeret ad id, ad quod omittendum potestatem non haberent? aut quare stimulare ad illud, quod nullatenus perficere possent?

Quare ut omnia hoc Spho adlata fundamenta firmissima simul sub unum conspectum exponam, ex divinis S. Scripturae testimoniis, ex sacrosanctis Conciliorum definitionibus, ex unanimi SS. Patrum consensu, ex ipso rationis naturalis lumine manifestum est, *libertatem*, quae *indifferentiae* dicitur, quaeque homini ad merendum vel demerendum est opus, esse *potentiam*, quae *positis omnibus ad agendam praerequisitis potest agere vel non agere*. Exin autem Sequentia inferuntur corollaria.

§. III.

## §. III.

6. *Corollar I.* Inter praerequisita ad agendum libere libertate indifferentiae vel maxime est facultas menti propria determinandi se ipsam ad volendum vel nolendum; ut recte observat, cl. *Stattlerus* (c). Nam sine hac facultate concipi nequit voluntas potens eligere actionem vel omissionem actionis: atqui voluntas hoc modo accepta est primum ex illis praerequisitis. Unde libertas indifferentiae potest paulo aliis verbis etiam sic definiri: *facultas voluntatis, positae omnibus ad agendum praerequisitis, seipsam determinandi ad volendum, vel non volendum.*

7. *Coroll. II.* Praeterea inter praerequisita ad actum liberum libertate indifferentiae est etiam *absentia omnis impedimenti infallibiliter & inevitabiliter unum libertatis extremum excludentis*: quale impedimentum respectu omissionis actus e. g. amoris est praedeterminatio physica ad amorem, aut delectatio victrix infallibiliter & inevitabiliter secum trahens amorem. Unde Thomistae & Augustiniani (illi adfertores praemotionis physicae, hi delectationis victricis ob graduum superioritatem trahentis secum infallibiliter id, quod magis delectat) negant (d), & vi sui systematis negare debent, absentiam ejusmodi impedimenti censerī inter necessaria praerequisita ad actum.

A 5

actum

(c) *Psycholog.* §. 307.

(d) Id recte observat cl. *Carpani* in *Disput. de Delectat. caelest. & terren. Sect. IV. §. 8.* his verbis: *In hac notione* (Libertas indifferentiae est facultas voluntatis, quae positae omnibus ad agendum praerequisitis potest pro suo libitu agere, vel non agere) *conveniunt etiam Adversarii: sed discrepant in assignandis iis, quae praerequiruntur, & hanc facultatem proximam, & expeditam ad agendum, vel non agendum, sive ad agendum unum, vel alteram constituunt:*

nam

actum liberum. Et profecto praeter alios hoc negat cl. Gazzagniga (e), & cl. Billuart (f). Hinc supra

nam quamvis etiam ipsi inter constitutiva recenseant voluntatem de se capacem eligendi unum prae altero, & exercendi dominium in suos actus, Omnipotentiam paratam ad physice concurrendum cum ipsa, iudicium indifferens, & loquendo de actibus salutaribus, sufficiens auxilium supernum consistens in supernis illustrationibus, & inspirationibus: non tamen admittunt inter constitutiva carentiam cujuscunque determinativi independentis a libito creatae voluntatis, eamque inevitabiliter determinantis ad unum libertatis extremum, & cujuscunque impediementi infallibiliter, & inevitabiliter unum libertatis extremum excludentis.

(e) Tom. I. Praelect. theolog. Dissert. VI. num. 211. ubi de hac definitione, *Libertas est facultas, postis omnibus ad agendum praerequisitis, agentis vel non agentis*, loquens ait, hanc definitionem intelligi debere de iis praerequisitis, quae se tenent ex parte potentiae adhuc indeterminatae, non autem de omnibus praerequisitis, comprehendendo simul etiam efficacem voluntatis (per praemotionem creaturae a Deo immixtam) determinationem. Et quemadmodum nec Adversarii ipsi, ut puto, contendunt, posse cum efficaci determinatione voluntatis componi non actum; ita multo minus cum decretis praedeterminantibus, reduplicative ut talibus, componi potest non actus. Ex quibus verbis liquet, hunc Authorem inter praerequisita ad actum liberum non reponere absentiam omnis impediementi inevitabiliter & infallibiliter alterum libertatis extremum, nempe omissionem actus excludentis.

(f) Tom. IV. Curs. theolog. Tract. de Actib. human. Dissert. II. art. 1. §. 4. ubi pariter de nostra illa liberi arbitrii definitione differens, sic pronuntiat: *Si (ista definitio) intelligatur de praerequisitis tantum natura & consalitate, negamus, quod voluntas possit agere vel non agere in sensu composito & potentia consequente, sed tantum in sensu diviso & potentia antecedente: hoc est, cum requisitis, natura tantum ad actum non potest componi non actus, bene tamen potentia expe-dita non agendi; quia eo ipso instanti, quo sunt praerequisita natura tantum ad agendum, ut sunt v. g. iudicium ultimum rationis practicae, determinatio qua voluntas seipsam determinat ad agendum, est actio: implicat autem posse componi simul non actionem cum actione; & cum praemotio divina sit ex praerequi-*

pra (g) dixi, nostram liberi arbitrii definitionem commiter quidem a Theologis admitti, non tamen eandem eodem modo ab omnibus explicari, praesertim quoad illa verba: *positis omnibus ad agendum praerequisitis.*  
Verum

*requisitis natura tantum & causalitate ad agendum, & in eo instanti, in quo datur (praemotio), homo agat, liberum arbitrium sub illa non potest non agere in sensu composito, & potentia consequente, sed in sensu diviso & potentia antecedente tantum, hoc est, non potest componere non actionem cum illa (praemotio), sed tantum potentiam non agendi. Sic in sententia eorum, qui hanc definitionem (libertatis indifferentiae) adeo extollunt, quia gratia congrua est de praerequisitis natura tantum ad agendum, homo sub illa non potest in sensu composito & potentia consequente non agere; sed in sensu diviso tantum & potentia antecedente; alioquin gratia non foret congrua, & praescientia Dei falleretur.* Hucusque P. Billuart, ex cujus verbis patet, quod is pariter inter praerequisita ad libere agendum non statuat absentiam omnis impedimenti inevitabiliter & infallibiliter connexi cum uno libertatis extremo, actumque oppositum excludentis. Praemotio enim physica v.g. ad amorem, est inevitabiliter & infallibiliter connexa cum actu amoris, ad quem movet, nec componi potest cum omissione aut nolitione amoris. Quod autem P. Billuart distinctionem sensus compositi & divisi, potentiae antecedentis & consequentis hoc loco male adhibuerit: item quod nulla sit adducta ab ipso paritas inter iudicium ultimum rationis practicae, vel determinationem voluntatis seipsam determinantis ad agendum, aut gratiam congruam nostro sensu acceptam, & inter praemotionem physicam, patebit ex infra dicendis §. V. num. 12. §. XXIII. num. 82. & 83.

Certe praemotio physica v.g. ad amorem est impedimentum oppositi actus, id est, omissionis vel nolitionis amoris inevitabile, quia Deus eam dat, cui vult, & quando vult; simulque infallibiliter cum altero libertatis extremo, id est, cum actu amoris, quem infert, connexum: iudicium vero ultimum rationis practicae, vel determinatio voluntatis seipsam determinantis, aut gratia congrua qua talis, id est, congruitas, seu potius efficacia gratiae supponunt in nostro systemate liberum creaturae exercitium, & ab hac sunt certa ratione impedibilia. Verum haec omnia clariora fient locis paulo ante citatis, item toto §. XXIII. & §. XXIV. (g) §. I. num. 2. in nota (d).

Verum ad actum liberum libertate indifferentiae praerequiri absentiam omnis impediimenti inevitabiliter & infallibiliter unum libertatis extremum excludentis, & cum altero extremo connexi, abunde colligitur ex S. Scripturae, Conciliorum, Patrumque testimoniis, ex ipso rationis lumine, ac communi hominum sensu supra (h) enarratis, ampliusque sic ostenditur. Deus per Isaiam (i) filios Israel ita adloquitur: *si volueritis, & audieritis me, bona terrae comedetis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis, gladius devorabit vos.* Qui loquendi modus: *si volueritis, si nolueritis*, manifeste iudicat libertatem indifferentiae seu potentiam proximam solutam ab omni vinculo, vel praeviae determinationis aliunde habitae & inimpedibilis ad unum libertatis extremum, vel impediimenti cujuslibet inevitabilis, & infallibiliter alterum libertatis extremum excludentis. Insuper Deus per prophetam Regi David post populi numerationem inquit (l): *trium tibi datur optio: elige unum ex his, quae volueris.* Quid autem ineptius, quam ex tribus unum eligendi optionem dare illi, cui non sit potestas eligendi libera ab omni inevitabili impediimento, & expers inimpedibilis determinationis ad unum? Accedit communis hominum loquendi usus, quorum locutiones quam plurimae, essent risu dignae; nisi ita loquentes haberent potestatem dominatricem suorum actuum, liberam ab omni ejusmodi impediimento. Et profecto, quandocumque tale impediimento adest, voluntas per illud determinatur ad unum, nec potentiam completam habet ad utrumlibet oppositorum: ergo videtur, stante tali impediimento non posse salvari Libertas indifferentiae, hoc est, potentia completa ad utrumque ex oppositis.

## §. IV.

(h) §. II. (i) Cap. I. (l) 2. Reg. 24. v. 12.

## §. IV.

8. *Stabilita & explicata nostra liberi arbitrii definitione, porro dicendum, quid de aliis aliorum definitionibus sentiamus. Expendemus duntaxat prae-  
cipuas, & ad scopum praesentis dissertationis magis  
facientes. Ac inprimis notandum, quod definitio-  
nes liberi arbitrii, quas D. Thomas statuit, a nostra  
non nisi vocibus, nequaquam autem reapse differant;  
prout quidam cum Gummaro Huyghens (m) falso existi-  
mant. Sic dum Angelicus (n) docet, quod liberum  
arbitrium sit facultas voluntatis & rationis, intelligit  
facultatem seu potentiam rationalem expeditam ad  
utrumque libertatis extremum, ad volendum; vel  
nolendum; secus enim homo non esset Dominus suo-  
rum actuum, prout tamen Angelicus hoc loco adserit.  
Imo hanc esse mentem S. Doctoris, ex pluribus aliis  
eiusdem locis (o) patet.*

*Idem Sensus est alterius definitionis, qua Ange-  
licus alibi (p) liberum arbitrium dicit esse vim electi-  
væ mediorem servato ordine finis. Si enim est vis ele-  
ctiva, hoc ipso debet esse vis seu potentia indifferens*  
&

(m) Vide supra num. 4.

(n) 1. 2. q. 1. art. 1. in corp., ubi ait: *est autem homo do-  
minus suorum actuum per rationem & voluntatem; unde libe-  
rum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis & rationis.*

(o) Sic 1. p. q. 83. a. 2. in corp. inquit: *liberum arbitri-  
um indifferenter se habet ad bene eligendum vel male. Et q. 24.  
de Veritate art. 1. ad 2dum: Homo, ait, dicitur esse liberi  
arbitrii, secundum quod potest agere hoc vel illud. Ibidem art.  
3. in corp. haec habet: unde remanet ei (Deo) liberum judici-  
um ad volendum hoc vel illud, sicut in nobis est.*

(p) 1. p. q. 62. art. 8. ad 3tium ait: *quod liberum arbitri-  
um diversa eligere possit, servato ordine finis, hoc pertinet ad  
perfectionem libertatis ejus. Sed quod eligat aliquid divertendo  
ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum  
libertatis. Unde major libertas arbitrii est in angelis, qui pec-  
care non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus.*

& expedita ad plura vel diversa; ubi enim datur electio, debet dari potestas ex pluribus vel diversis eligendi unum. Nam eligere est unum accipere, alio recusato, uti ipse Angelicus (q) ait. Porro dum in adlata definitione haec verba addit: *servato ordine finis*, indicare vult, quod ad libertatem indifferentiae non requiratur, posse a fine recedere, seu peccare. Imo hoc arguit defectum & naevum libertatis; posse autem diversa eligere servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis: unde major & perfectior est libertas arbitrii in Deo, Christo, & Angelis, qui peccare non possunt, quam in nobis, qui peccare possumus.

9. Alii (r) cum *Dominico Bannes* (s) liberum arbitrium definiunt, quod sit *Voluntas subsistans iudicio indifferenti*. Verum, si hi authores velint, ad libertatem indifferentiae sufficere, dummodo voluntas cum iudicio indifferenti agat, neque praeterea requiri absentiam omnis impedimenti inevitabiliter & infallibiliter cum uno libertatis extremo connexi, si, inquam, hoc

(q) 1. p. q. 83. a. 3. in corp. ubi sic habet: *Dicendum, quod proprium liberi arbitrii est electio. Ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod possumus unum recipere alio recusato, quod est eligere, & ideo naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet.*

(r) Sic Author *Schiboleth Thomistici* P. II. num. 304. „Perfecta, inquit, libertatis definitio est: *appetitus electivus*. Et: *Voluntas subsistans rationi indifferenti*.“

(s) Is in 1. partem D. Thomae q. 19. a. 10. pag. 382. edit. Roman. an. 1583. ex hac propositione a se statuta: *Libertas actus voluntatis consurgit ex tali actu, & iudicio indifferente intellectus*, infert hoc corollarium: *Quotiescunque actus voluntatis oritur ex praedicta radice iudicii, semper liber erit. Unde rursus colligo. Quidquid antecesserit, vel comitabitur, vel supervenerit ad actum voluntatis, si non tollat iudicium illud - non destruet libertatem operationis. Haec consequentia evidens est. Quia stante definitione actus liberi necesse est actum esse liberum. Ita Dominicus Bannes.*

hoc velint, prout revera id volunt & docent; illos jam supra (t) confutavimus, & pluribus infra (u) refellemus.

10. Iterum aliis (x) arridet doctrina *Leibnitianorum*, & *Wolfii* (z) libertatem definitientium, quod fit *facultas voluntatis ex pluribus possibilibus sponte eligendi id, quod ex ratione sufficiente cognita qua tali maxime placet*. Ac quoniam haec definitio illud victricis delectationis a nobis refutandae principium, secundum id, quod magis delectat, operemur necesse est, propius (a) attingit, eandem aliquot *Sphis* specialiter convellendam censeo.

### §. V.

11. Itaque contra dictam libertatis definitionem sic argumentor. Vel cognitio rationis sufficientis qua talis, seu intimatio practica bonitatis finis, dependet ab alio actu voluntatis praecedente & quidem libero, vel non dependet? Si non dependet, sublata est libertas indifferentiae ad actum voluntatis, ad quem haec a cognitione seu intimatione illa practica determinatur. Hic enim actus voluntatis juxta Adversarios necessaria-

(t) Num. 7. (u) §. XXVIII.

(x) Inter hos fuit Author libelli Ratisbonae an. 1750. typo impressi, hoc titulo: *De gratia actuali, & habituali specimen Syncretismi inter Scholas dissidentes methodo scientifica tentati*, in quo §. 71. ille ait: „*Libertas est facultas eligendi ex pluribus possibilibus id, quod ex ratione sufficiente cognita qua tali maxime placet*. Seu ut ad captum Scholae loquar: „*quoniam ratio sufficiens voluntatis determinativa est bonitas finis, libertas definiri poterit, quod fit facultas eligendi ex pluribus possibilibus id, quod ex representatione bonitatis finis practice intimatae quam maxime placet.*“

(z) *Psych. Empir.* §. 941. & seqq.

(a) Vide et *Vitoris a Cocaleo Tentam. theol. Tom. V. Dissert. 3. cap. 3.*

cessario sequitur ex intimatione practica, quae tali modo non esset subjecta libero voluntatis exercitio. Si vero intimatio practica dicatur dependere ab aliquo actu voluntatis praecedente libero, quaero ulterius: Actus iste voluntatis liber & praecedens practica intimationem, an iterum praesupponit aliam praecedentem intimationem practicae bonitatis finis, an illam non praesupponit? Si praesupponit, necessario fiet progressio in infinitum. Si non praesupponit, habemus actum liberum absque praevia intimatione practica. Igitur, qui liberum arbitrium definiunt, quod sit *facultas sponte eligendi ex pluribus possibilibus id, quod ex repraesentatione bonitatis finis practice intimatae, si-ve ex ratione sufficiente cognita qua tali maxime placet*, vel libertatem ipsam destruunt, vel progrediuntur in infinitum, vel definitionem statuunt non convenientem actui *omni* libero, ac eapropter non solum a Theologis, sed etiam a Logicis merito culpandi sunt.

12. At inquires: ipse etiam *Bellarminus* (b) expresse docet, voluntatis electionem necessario pendere ab ultimo iudicio practico rationis, quo ratio dicit: *Hoc nunc, omnibus consideratis, est faciendum*: ergo voluntas semper eligit, quod, omnibus consideratis, maxime placet, seu iudicatur optimum. Respondeo: dist. ant. *Bellarminus* hoc docet; non tamen eandem cum Leibnitianis & Wolfianis, sed potius nostram libertatis definitionem statuit (c): neque illam suam doctri-

(b) L. III. de gratia & lib. arbitr. c. 8. propof. 6.

(c) Ibidem c. 3. ubi ait: „Sed quia longum esset - „has omnes (libertatis) definitiones defendere, vel explicare, proponam, nostro iudicio, plenior, ex doctrina „S. Thomae collectam, hoc modo: *Liberum arbitrium est libera potestas ex his, quae ad finem aliquem conducunt, unum prae alio eligendi, aut unum & idem acceptandi, vel pro arbitrio respuendi.*“ Et paulo post in explicatione hujus defini-

doctrinam de *omni* voluntatis electione, seu de *omni* actu libero intelligit, imo nec intelligere potest (d) conc. ant. fecus. neg. ant. & conf.

*Bellarminus* loc. cit. nihil aliud videtur velle, quam voluntatem posse quidem pro suo libitu, adeoque absque praevio ejusmodi iudicio ultimo practico, aut ratione praevalente sese liberrime determinare ad consideranda potius haec, quam alia motiva (e) e. g.

finitionis, ita pergit: „Actus - - liberi arbitrii proprius est „electio. Sed duobus modis (electio) fieri potest, vel „seligendo unum ex duobus, aut pluribus propositis, quae „dici solet *libertas contrarietatis*, sive *specificationis*; vel „uno tantum proposito, illud acceptando, vel rejiciendo, „quae dicitur *libertas contradictionis*, sive *exercitii*. Itaque „ad significandum actum liberi arbitrii prioris generis, di- „ctum est in definitione, *unum prae alio eligendi*: & ad sig- „nificandum actum generis posterioris, dictum est, *aut unum* „*Et idem acceptandi, vel pro arbitrio respuendi.*“ Hucus- „que *Bellarminus*.

(d) Nam ibidem cap. 9 ad septimam objectionem respon- det his verbis: *Respondeo, voluntas in eligendo libera est, non quod non determinetur necessario a iudicio ultimo Et practico rationis, sed quoniam istud ipsum iudicium ultimum Et practicum in potestate voluntatis est.* Ergo manifeste ille actus voluntatis liber, vi cujus iudicium ultimum & practicum in potestate voluntatis est, non praesupponit aliud iudicium ultimum & practicum rationis, ex quo necessario sequatur. Alias aut non esset liber, aut fieret progressio in infinitum in serie horum iudiciorum & volitionum; si nimirum dicatur, quod illud ipsum alterum iudicium ultimum & practicum iterum pendeat ab alio actu voluntatis, & hic alius actus volunta- tis iterum ab alio iudicio ultimo & practico rationis, atque sic ulterius; prout satis colligitur ex supra dictis num. II. Ceterum de iudicio ultimo practico solide disserit cl. *Jacob. Zallinger*. Psychol. §. 27. pag. 307. 308. & 309. Et cl. *Stattlerus* Psychol. §. 314.

(e) Vide cl. *Stattlerum* Psychol. §. 301. & seqq. item §. 314. Et in *Ethic. Christian. Univers.* §. 513. num. V. VI. & VIII. Item cl. *Jacob. Zallingerum* Psych. §. 26. pag. 302. & 303.

e. g. ad figendam potius attentionem in bono delectabili, quam in bono honesto, sicque se disponere ad formandum iudicium ultimum practicum eligendi bonum delectabile prae honesto; ad quod iudicium de ipsa electio boni delectabilis connaturaliter consequitur. Aperte enim ait (f), iudicium ultimum practicum rationis situm esse in libera voluntatis potestate, & rem hanc ita explicat: *sciendum est*, inquit, *cum proponuntur a ratione varia media* (i. e. varia bona ad obtinendam beatitudinem) *& ostenditur, quid boni & quid mali sit in unoquoque, voluntatem inclinari modo in unam partem, modo in aliam, & in ejus potestate esse, ut sinat se moveri, vel resistat, non quidem actu positivo, sed negativo, non sinendo videlicet se moveri* i. e. non attendendo ad bonum honestum. *Per hoc enim, quod voluntas sinit se moveri ab una ratione proposita* (attendendo nimirum e. g. ad bonum delectabile) *fit, ut mens omissa alia inquisitione* (seu attentione ad bonum oppositum honestum) *pergat, & concludat iudicium particulare* (eligendum esse bonum delectabile), *quod (iudicium) continuo sequitur electio ejusdem boni delectabilis.* Itaque libertas voluntatis in eo proprie sita esse videtur, quod propositis variis rationibus non necessariis i. e. non necessitantibus *sinat se moveri* (dicto modo) *ab una, & non ab alia.* Et paulo post ita pergit: *Hinc quoque S. Thomas in quaest. 1. de malo, art. 3. recte dixit, causam peccati esse, quod homo operatur non attendens ad regulam divinae legis; hujus autem, quod est non attendere ad regulam, non esse quaerendam aliam causam, cum ad hoc sufficiat libertas voluntatis humanae.* (ecce ad hanc attentionis liberam omissionem non requiritur praecedens aliquod iudicium ultimum practicum rationis, sed sufficit sola libera voluntatis de-

termi-

(f) Loc. cit, cap. 9. ad septimum argumentum, seu objectionem.

terminatio) *Ubi S. Thomas in eo ponit libertatem & causam peccati, quod voluntas, cum ab una parte trahitur ad peccandum a voluptate per sensum & rationem apprehensa & proposita ut bona, ab altera revocatur a peccato per rationem proponentem legem Dei, & repræsentantem voluptatem illam ut noxiam, ipsa finit se moveri a sensu, & attendit ad bonum propositum in voluptate, & non finit se moveri a ratione proponente legem Dei, & sic non attendit ad veram regulam bonæ actionis. Hucusque Bellarminus.*

## §. VI.

13. Porro Wolfianam libertatis definitionem ulterius argumento ex cl. *Stattilero* (g) desumpto sic impugnamus. Haec definitio libertatis, quod sit *facultas ex pluribus possibilibus eligendi, quod maxime placet*, est obscura, & quiscunque illius sensus statuatur, falsa.

*Obscura* est, eoquod in omni pugna appetituum (sensitivi, & rationalis) alterum magis placet appetitui sensitivo, alterum rationali. In quo ergo consistit libertas, si illa facultas est, ex pluribus possibilibus eligendi id, quod magis placet, cum utrumque libertatis extremum, spectando nimirum diversos appetitus, magis placeat, neque tamen voluntas utrumque amplecti possit? an libertas est facultas, ex pluribus possibilibus eligendi id, quod magis placet appetitui sensitivo? an quod magis placet appetitui rationali? en, ambiguitatem, obscuritatemque definitionis.

*Falsa* dein est, quiscunque definitioni isti sensus statuatur. Si enim libertas est facultas id eligendi, quod magis placet appetitui sensitivo, tunc si libere

B 2

age-

(g) *Psychol. loc. cit, artic. 3. §. 293.*

agerem, semper agerem secundum appetitum sensitivum in conflictu cum rationali; Si autem libertas consistat in facultate eligendi id, quod magis placet appetitui rationali, tunc, quoties libere agerem, id agerem, quod magis placet appetitui rationali in conflictu cum sensitivo: quod utrumque manifeste falsum est, & primum etiam injuriosum toti humano generi. Denique, si dicatur in eo consistere libertas, quod sit facultas eligendi id, pro quo in ipso conflictu horum appetituum datur excessus unius appetitus supra alterum, tunc quia saltem apud Christianos certum est, bonum, quod ab appetitu rationali proponitur, consistens in rectitudine morali, & praemio merita nostra longe excedente, multo majus semper esse, quam sit bonum appetitus sensitivi consistens in voluptate aut felicitate adparente duntaxat, sequeretur, quod excessus apud nos Christianos semper esset pro bono appetitus rationalis, adeoque si libere agamus, duntaxat secundum hunc operemur, quod denuo falsum est.

### §. VII.

14. Restat, ut reliqua argumenta, quae *Wolfiam* in defensionem definitionis suae adferunt, breviter solvamus. Et primo quidem Syncretista ille Ratisbonensis, de quo supra num. 10. in nota(x) mentionem feci, hunc in modum opponit: Si, inquit, voluntas non semper eligeret, & eligere deberet, quod magis placet, sequeretur I. Voluntatem non esse potentiam caecam, eamque posse propendere in malum oppositum; consequenter ejus specificativum non esse bonum cognitum qua tale, seu practice intimatum: quod est contra proverbium Scholae. II. Voluntas in illud oppositum inclinaret abs ulla ratione sufficiente, consequenter casu. III. Aut certe ab alio deberet inclinari; quo facto jam non amplius libera esset

set a vi, ne dicam intrinseca, sed ne quidem extrinseca. Ita ille.

Respondeo, negando has tres sequelas. Nam I. licet voluntas ad agendum non determinetur ab intuitu majoris boni, seu ab intimatione practica, ut Adversarius loquitur, nihilominus merito dicitur potentia caeca; quia nunquam agit, nisi praelucente actu intellectus, neque quidquam eligere potest, nisi in eo aliquam bonitatem cognoscat seu veram, seu apparenter talem. Neque voluntas propterea, quod ab intuitu majoris boni non determinetur ad agendum, propendere potest *in malum oppositum qua malum*, sed duntaxat *in aliud bonum* seu vere seu apparenter tale, illi majori bono oppositum, vel ab eo diversum e. g. dum Christianus homo lumine fidei illustratus agnoscit virtutem esse *bonum honestum*, & quidem multo majus, quam sit bonum delectabile oppositi vitii, potest pro sua libertate relicto bono honesto majori propendere in *bonum delectabile* oppositi vitii, hocque eligere. II. Voluntas nunquam propendet in aliquod objectum absque ratione sufficiente; quia nunquam in aliquid propendet, aut quidpiam eligit, in quo non cognoscit aliquid boni. III. Eadem voluntas ad agendum *inclinatur* quidem suo modo, id est, invitatur ac stimulatur ab alio, nempe a motivis, seu ab intuitu boni. At, nisi appareat ut purum bonum, (quod in hac mortali vita fieri non solet) *non determinatur* ab alio, sed ipsa ad volendum seipsam determinat.

15. *Oppones II.* Si Voluntas posset eligere minus bonum prae majori cognito qua tali, deberet se avertere ab intuitu majoris boni, & adfigere attentionem suam minori bono: Sed hoc fieri nequit: ergo. prob. min. Si haec mutatio attentionis fieri posset, deberet illius dari ratio sufficiens: sed nulla datur dictae

mutationis ratio sufficiens: ergo fieri non potest. R. conc. mai. neg. min. ad prob. dist. mai. deberet dari ratio sufficiens *possibilitatis* dictae mutationis. conc. mai. deberet dari ratio sufficiens *actualis existentiae* hujus mutationis. subdist. deberet dari *actualis existentiae* ratio sufficiens *externa*. neg. mai. deberet dari ratio sufficiens *interna* ipsi voluntati. conc. mai. & dist. min. non datur ratio sufficiens *possibilitatis* dictae mutationis. neg. min. non datur ratio sufficiens *actualis existentiae* ejusdem mutationis. subdist. non datur hujus ratio *externa* voluntati. conc. min. *interna* & infirma ipsi voluntati. neg. min & conf.

*Ratio sufficiens*, inquit cl. Stattlerus (h), *potentiae* (seu *possibilitatis*) *convertendi attentionem actualem ab uno motivo ad alterum est praesentia motivi contrarii ope phantasiae conservata, & a prioris (motivi) attentione absterrens, & sui attentionem ciens: idcirco enim attentio actualis utriusque motivi ex aequo possibilis est --- Haec omnia perinde vera sunt, etsi pro una parte suppetant motiva majora, seu fortiora; modo altera justam adhuc habeant ad ea proportionem, ut pugnam appetitus determinent. Adhuc enim ratio sufficiens -- suppetit, cur attentionem a majore ad minus motivum contrarium convertamus. Igitur ratio sufficiens possibilitatis, id est, ratio, ob quam voluntas potest attendere ad bonum minus, illudque eligere, est cognitio alicujus bonitatis in bono minore relucentis ope phantasiae conservata: ratio autem sufficiens actualis existentiae illius attentionis, & subsequenter electionis boni minoris est in ipsa voluntate se actu ad considerationem & amplexum boni minoris libere determinante; prout denuo laudatus Author (i) his verbis docet: „Licet nec volitio, nec nolitio, nec omis-*

„sio

(h) Ethic. Christian. Universal. num. 509.

(i) Ibidem. §. 513. num. IV.

„sio ulla libera, unquam sit sine motivo sibi consen-  
 „taneo, tamen ratio ultima determinans completa,  
 „cur volitio, nolitio, vel omisso libera, seu una prae-  
 „altera *existat*, natura prior his esse, aut tota moti-  
 „vis inesse, non potest; sed ratio sui partialis saltem  
 „ultima inest ipsis exercitiis immediate liberis volun-  
 „tatis.“ Eandem doctrinam idem cl. Author mul-  
 „toties (1) inculcat, dicens, liberam volitionem non  
 habere rationem sufficientem completam atque ultimam a seipsa adaequate distinctam, sed *ipsammet partialem rationem sufficientem esse sui ipsius existentiae*. Nihil enim quod ipsam praecedat, plene complet voluntatem in ratione causae *efficientis*, sed tantum in ratione causae *potentis* efficere: neque suspensio, seu indifferentia liberae voluntatis, nisi per ipsum liberum exercitium, i. e. per volitionem ipsam tollitur. Itaque volitio libera (quae in actu secundo considerata identificatur cum voluntate tanquam hujus modus) est sui ipsius ratio ultima saltem partialis. Dixi *saltem partialis*; nam haud dubie Deus, qui creaturae rationali hanc voluntatis facultatem seipsam libere determinandi dedit, & in singulos ejusdem actus influit, multo magis est ratio sufficiens prima, & quidem ipsius facultatis adaequata, inadaequata vero actus liberi.

16. *Dices*: Ratio sufficiens universe est natura prior eo, cujus est ratio sufficiens: atqui volitio nequit esse natura prior seipsa: ergo volitio nequit esse ratio sufficiens sui ipsius. R. neg. mai. Nam, ut cl. *Horvath* (m) recte ait, e. g. quod Deus plene sibi sufficiat ad existendum, utique non est sine sufficienti ratione; neque tamen propterea ratio sufficiens exi-

B 4

stendi

(1) Ontol. 220. Psychol. §§. 323. 329. Theolog. Natural. §§. 529. 530. Ethic. Christian. Universal. §. 513. num. IV.

(m) Psychol. Dissert. III. num. 347. pag. 327.

stendi in Deo natura prior est plena ad existendum sufficientia: ergo non omnis ratio sufficiens est natura prior eo, cujus est ratio sufficiens. Discrimen ergo faciendum est inter has duas propositiones: *nihil est sine aliqua ratione sufficiente*. Et: *nihil est sine ratione sufficiente sibi externa, quae sit ipso natura prior, & a quo determinetur, ut sit potius, quam non sit*. Prima est vera: altera falsa. Audiamus hanc in rem denuo cl. Stattlerum (n): *Atque in hoc ipso (quod nempe volitio libera sit partialis ratio sufficiens suae ipsius existentiae) dignitas actus liberi consistit, & capacitas tam ad laudem, si bonus; quam ad vituperium, si malus est. Habet ille nimirum speciem quamdam entis a se, quamquam nullo modo adaequate. Non enim ipse est ratio suiipsius adaequata vel adaequate sufficiens ultima, (uti Ens a se) sed solum partialis; nec est substantia, sed modus tantum.*

17. *Urgebis*. Si ratio sufficiens volitionis esset ipsa volitio, seu voluntas, prout haec in actu 2do consideratur; quaerenti, cur hoc, vel illud velis? respondere cogereris: *volo, quia volo*: atqui hujusmodi responso est ridicula & absurda: ergo. mai. patet. Quia stare *pro ratione voluntas* in actuali exercitio considerata. min. vero prob. Qui ait, *volo, quia volo*, idem per idem resolvit; nisi forte per voces *quia volo* intelligat praeviam volitionem volitionem, sicque processum in infinitum in volitionibus inducat: ergo. Respondeo cum cl. Horvath (o), „dist. mai. „respondere cogerer: *volo, quia volo*, non plus designando, quam quod volitionem eliciam. neg. mai. „per verba, *quia volo*, indicando, sufficientem volitionis rationem non consistere in repraesentatione boni, sed in voluntate, postquam ejus totus actus primus proximus completus est, libere volitionem prae „noli-

(n) Psychol. §. 329. (o) Loc. cit. pag. 328.

„nolitione eligente. conc. mai. & sic dist. min. neg.  
 „conf. Ad prob. redit eadem distinctio. Ceterum ut  
 „ut certum sit, ad hoc, ut voluntas libere sese de-  
 „terminet ad volitionem prae nolitione, non esse  
 „necessariam prae viam volitionis volitionem, cum se-  
 „cus progressus in infinitum admittendus esset in vo-  
 „litionibus; nihilominus quid sit libere sese ad volen-  
 „dum determinare, melius sensu intimo percipimus,  
 „quam verbis explicare valeamus. Sufficiat Adver-  
 „sariis, hanc in anima nostra potestatem, scilicet si-  
 „ne externa sibi ratione sufficiente sese ad volendum  
 „vel nolendum determinandi invictis argumentis a  
 „nobis evinci.“ Hucusque citatus Author. Similiter  
 respondet cl. *Jacob Zallinger* mox infra citandus, dum  
 ait: *Nego* hanc propositionem: *volo, quia volo, ab-*  
*surdam esse, si recte intelligatur; idem enim exprimi-*  
*tur vulgato dicto, atque in ipso naturae sensu fun-*  
*dato: stat pro ratione voluntas. Volo igitur, quia vo-*  
*lo, id est, quia electionem boni in mea potestate habeo.*  
 Idipsum reapse docet, & repetit cl. *Stattlerus*, non  
 dubitans iterato ita scribere (p): *Actus ipsi liberi caus-*  
*sarum creaturarum rationalium liberarum sub alio conceptu*  
*intrinsece possibiles non sunt, nisi ut ipsimet sint ratio*  
*existentiae suae tum proxima, tum ultima saltem partia-*  
*lis. Conceptum istum actus liberi enimvero aut admitte-*  
*re, aut absolute negare libertatem omnem, ceu chimae-*  
*ram, oportet.*

Qui plura hac de re, aut contra *Wolfgangam* liber-  
 tatis definitionem legere cupit, adeat laudatos autho-  
 res, *Sattlerum* (q), *Horvath* (r), *Jacob Zallingerum* (s).

B 5

18. Quae-

(p) Theolog. Natural. §. 529.

(q) Locis citatis, praecipue Psychol. §. 293. 301. us-  
 que ad §. 317. Item §. 321. usque ad §. 332.

(r) Loc. cit. a num. 346. usque ad num. 348.

(s) Psychol. §. XXV. usque ad §. XXVIII.

18. *Quaeres*: quid sentiendum de hac definitione: *Libertas est potestas faciendi id, quod quis vult, aut non vult?* Respondeo: qui hac definitione utuntur, ambigue loquuntur, & vel non recte sentiunt, & cum *Jansenio*, qui eandem definitionem L. 6. de gratia Christi, cap. 4. amplectitur, turpiter errant; vel eandem nobiscum libertatis notionem reapse habent. Nam vel concedunt, quod in potestate mentis sit, positis omnibus ad agendum praerequisitis velle aut non velle, vel id negant? *Si negant*, quomodo salvabunt, quam adserunt, libertatem arbitrii? Certe Beati in coelo, dum Deum amant, faciunt, quod volunt; nec tamen ideo libere amant libertate arbitrii, seu indifferentiae; quia positis omnibus ad sic amandum praerequisitis (inter quae est visio Dei intuitiva) non est in ipsorum potestate, Deum velle, aut non velle amare, sed necessario eum amant.

*Si vero concedunt*, nobiscum sentiunt, & fatentur, libertatem esse potentiam positis omnibus ad agendum praerequisitis expeditam ad agendum vel non agendum. Atque hoc sensu etiam D. Augustinus (t) ait: *Non enim possum aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus, facimus.* Accipit nimirum S. Doctor has voces, *cum volumus*, prout vulgus easdem accipere solet, ut idem significant, ac: *cum volumus cum potestate nolendi*, ita ut sensus citati textus sit: *Illud est in potestate nostra, quod facimus, quia volumus, non facturi, si nollemus: Et simul potestatem nolendi habemus.* Intelligit enim per *to volumus*, seu per *voluntatem* & hoc loco, & frequenter alibi (u) ipsum liberum arbitrium, seu potentiam expeditam ad agendum vel non agendum.

## §. VIII.

(t) L. 3. de lib. arb. c. 3.

(u) Sic L. de duabus animabus contra Manichaeos c. 12. ait: *Illae animae, quidquid faciunt, si natura, non voluntate faci-*

## §. VIII.

19. Postquam de notione & divisione libertatis factis prolixè disseruimus, ordo postulat, ut etiam de necessitate, quae libertati opponitur, pauca dicamus. *Necessitas* in genere est determinatio ad unum: eaque multiplex distinguitur. Alia enim est *necessitas coactionis*, seu vis alicui contra propriam inclinationem ab extrinseco illata, & haec in voluntatem non cadit, quae ad suos actus cogi non potest. Manifeste enim repugnat, ut voluntas nolens velit. Alia est *necessitas inclinationis* voluntati quidem proportionata, sed eam ita determinans ad unum, ut voluntas non possit propendere in oppositum. Haec necessitas iterum duplex est. Alia *naturae* seu *inclinationis naturalis*, quae scilicet ipsi naturae voluntatis insita est, eamque determinat ad unum. Talis necessitas est in Deo ad diligendum seipsum: talis etiam est in homine ad appetendum bonum universaliter spectatum, seu beatitudinem in communi, saltem hoc sensu, quod nemo possit appetere malum aut miseriam qua talem. Nemo enim, ut centies repetit S. Augustinus, cupit esse miser: omnes beati esse volumus. Alia necessitas *inclinationis adventitiae*, quae oritur a motione accidenta-

*faciunt, id est, si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent: si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possumus. Et L. 1. Retract. c. 22. sic habet: Nisi quisque, inquam, voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Quod non est contra gratiam Dei, quam praedicamus: in potestate quippe hominis est, mutare in melius voluntatem: Sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur -- Cum enim hoc sit in potestate, quod, cum volumus, facimus, nihil tamen in potestate, quam ipsa voluntas est: sed praeparatur voluntas a Domino. Similia habet L. 1. de lib. arb. c. 16. Et L. 3. ibid. c. 1.*

dentali, qua voluntas determinatur ad unum, idque vel *immutabiliter*, ut contingit in Beatis, qui ex visione Dei perpetuo, & absque interruptione, rapiuntur ad eum amandum, vel *mutabiliter & transitorie*, uti contingit in systemate Jansenianorum, qui admittunt duas delectationes, coelestem & terrenam, quarum nunc illa hominem ad bonum, nunc ista ad malum ita trahit, ut delectationi hic & nunc praedominanti voluntas resistere non possit.

20. Rursus alia est divisio necessitatis in antecedentem & consequentem. *Necessitas antecedens* est, quae praecedit liberum voluntatis exercitium, eamque ad exercitium determinat, ut in memorato systemate Jansenii delectatio victrix ac praedominans. *Necessitas consequens* est, quae liberam voluntatis determinationem sequitur. Sic supposito, quod loquar, necesse est me loqui. Non enim possum loqui, quin loquar. Haec necessitas consequens libertatem non destruit, sed supponit. Porro divisio necessitatis in antecedentem & consequentem hoc sensu acceptam, non est nova, sed Veteribus probe cognita. Sic S. Anselmus (x) clare ait: *Est praecedens necessitas, quae causa est, cur res sit, & est necessitas sequens, quam facit res. Praecedens & efficiens necessitas est, cum dicitur coelum volvi, quia necesse est, ut volvatur. Sequens vero -- cum dico, te ex necessitate loqui, quia loqueris. Cum enim hoc dico, significo, nihil facere posse, ut dum loqueris, non loquaris, non quod aliquid te cogat ad loquendum. Nam violentia naturalis conditionis cogit coelum volvi: te vero nulla necessitas facit loqui. Sed ubicunque est praecedens necessitas, est & sequens: non autem ubi sequens, ibi statim & praecedens.* Ex quibus verbis haud obscure colligitur, quod juxta S. Anselmum omnis necessitas, quae non consequitur ad exerci-

(x) Tom. III. L. 2. *Cur Deus Homo*, cap. 18.

exercitium libertatis, & ab hac caveri non potest, non fit necessitas consequens, sed antecedens. Idem sentire censendus est *Albertus M.* (2) ita scribens: *Duplex enim est necessitas, ut dicit Anselmus. Absoluta scilicet, quam vocat Anselmus antecedentem: quae est ex causis proximis ad effectum ordinatis; sicut solem oriri oras, vel decollatum interire. Et est necessitas consequens rei positionem, sicut sedentem sedere, dum sedet. --- Et quod subjacet necessitati primae, nullo modo concordat cum libero arbitrio --- sed ea, quae subjacent secundae necessitati, nihil prohibet concordare cum libero arbitrio.* Denique audiamus *S. Bonaventuram*, qui in illa *S. Scripturae* verba (a): *Ducebat enim illos (Pharaonem & Aegyptios) ad hunc finem (i. e. ad interitum in mari rubro) digna necessitas,* ita commentatur: *sed contra, quia poterant poenitere, & sic poenam illam vitare. Dicendum, quod poterant, sed nolebant. Unde necessitas illa erat consequens voluntatem, non antecedens.* Certe ex ipsa notione harum vocum, *necessitas antecedens, necessitas consequens* patet, quod illa sit, & recte dicatur *antecedens*, quae liberum exercitium antecedit, & illa *consequens*, quae illud subsequitur. Unde non video, quomodo haec divisio necessitatis in antecedentem & consequentem a quoquam negari possit, aut dubitari, utrum illa tollat, haec autem supponat libertatem.

21. Porro necessitas etiam dividitur in absolutam, & hypotheticam. Absoluta semper est antecedens: Hypothetica vero subdividitur in necessitatem hypotheticam antecedentem, & consequentem. *Necessitas absoluta* ex ipsa rerum natura, & essentia oritur; estque absolute necessarium illud, cujus oppositum intrinsecus repugnat. Sic absolute necessarium est, Deum

(2) I. Par. quaeft. 61. membro 8.

(a) Sap 19. v. 4.

um existere, hominem esse rationalem &c. *Necessitas hypothetica* in genere est, quae non nisi posita quadam hypothese seu conditione datur. *Necessitas hypothetica antecedens* est, quando conditio, ex qua necessitas oritur, ab ente intelligente, quod necessitatem subit, impediri vel evitari nequit. Ejusmodi necessitatem ( ut num. praec. dixi ) infert in systemate Jansenii Delectatio victrix & praedominans, si adest in homine. *Necessitas hypothetica consequens* dicitur, si conditio, ex qua necessitas oritur, ab ente intelligente, quod necessitatem subit, impediri vel evitari potest; ut, si loquor, necessario loquor: potui tamen meam locutionem antecedenter impedire, seu eandem omittere. Ex his colliges I. necessitatem hypotheticam esse, ut paulo ante indicavi, vel antecedentem, vel consequentem, prout nimirum conditio, ex qua illa oritur, antecedit, vel consequitur liberam determinationem entis intelligentis, quod necessario quidquam agere dicitur. II. Rem posse esse contingenter, licet ejusdem detur necessitas hypothetica etiam antecedens. Nam *contingens* est omne illud, cujus oppositum non est absolute impossibile: atqui, si aliquid est necessarium necessitate duntaxat hypothetica, tametsi antecedente, ejus oppositum non est absolute impossibile; quia conditio, qua posita necessarium est, potest omitti; uti innumeris exemplis ostendi posset. III. Contingentiam esse duplicem, nempe aliam, quae in actionibus liberis, & aliam, quae in eventibus naturae inest. Hinc ut contingentia actuum liberorum a contingentia naturalium eventuum segregetur, dividunt ens contingens in contingens simpliciter, & contingens secundum quid (b). *Contingens simpliciter* adpellant, quod procedit a causa libera, seu tali, quae positis omnibus ad agendum requisitis se determinare ad agendum, vel non deter-

(b) Vide cl. *Jacob. Zallinger*. Psychol. §.26. in fine. pag. 305.

determinare potest : *Contingens secundum quid*, quod a causa necessaria procedit, sic tamen, ut divinitus fieri possit oppositum.

22. Alia denique est *necessitas physica* ( sub qua etiam quoad praesens punctum controversiae completor *necessitatem metaphysicam* ) cum voluntas ita ad unum determinatur, ut illud hic & nunc non possit non velle, non agere. Alia *moralis*, cum voluntas ita ad unum trahitur, ut posset quidem illud non velle, non agere, sed non nisi cum magna difficultate. Quae difficultas cum suos gradus habeat, suos pariter habet necessitas moralis. Cum necessitate morali absolute dari potest libertas sufficiens ad meritum & demeritum.

## CAPUT II.

### NOTIO ET DIVISIO GRATIAE, AC VARIORUM NATURAE HUMANAЕ STATU-UM IN ORDINE AD GRATIAM.

#### §. IX.

23. *Gratia* generatim spectata est id, quod alicui datur, vel exhibetur, non autem meritis re- penditur; unde S. Paulus (c) ait: *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Porro dividitur gratia in *increatam*, & *creatam*. Prima est aeterna Dei benevolentia & voluntas, creaturae rationali in tempore gratis conferendi aliquod donum: Altera est ipsum tale donum. Dona autem creaturae rationali gratis a Deo collata duplicis sunt generis, alia *naturalia*, alia *supernaturalia*. Primi generis sunt creatio, conservatio, bona valetudo, in-  
genii

(c) Ad Rom. II. v. 6.

genii acumen, & hujusmodi: Alterius generis est omne supernaturale donum, creaturae rationali ad suam, aut aliorum procurandam salutem a Deo collatum. Subdividitur enim donum ejusmodi supernaturale in gratiam gratis datam, & in gratiam gratis facientem. Gratia *gratis data*, dicitur ea, quae primario ad aliorum; gratia vero *gratum faciens* dicitur illa, quae primario ad propriam recipientis salutem confertur. Porro gratia gratis data sic dicitur, non quod ipsa sola, & non etiam gratia gratum faciens, gratis detur, sed quia proprio ac specifico nomine caret: unde illi tribuitur nomen genericum, quod omni gratiae convenit. Ejusmodi gratiae gratis datae sunt e.g. donum patranda miracula, donum prophetiae, donum sanandi languores & morbos corporum, donum loquendi variis & peregrinis linguis, ac similia, quae e.g. Viro Apostolico ad convertendos infideles a Deo conceduntur. Gratia vero gratum faciens ulterius subdividitur in habituales; & actuales. *Habitualis* est, quae confertur per modum habitus, stabiliter nimirum, & permanenter. Talis praecipue est gratia sanctificans, quae nos constituit amicos, & filios Dei adoptivos, atque haeredes regni coelestis; unde ob suam praestantiam per antonomasiam gratia habitualis vocatur. Praeter hanc autem dantur adhuc aliae gratiae habituales: puta, habitus virtutum theologiarum, & moralium; item septem dona Spiritus S., per quae dicitur Spiritus S. requiescere super hominem. Gratia *actualis* dicitur ea, quae per modum actus, aut motionis transeuntis nobis conceditur.

24. Gratia actualis subdividitur in externam, & internam. *Externa* est, quae existentiam propriam extra nos habet; qualis est Dei incarnatio, Christi exemplum, doctrina & lex, Evangelii praedicatio, miracula in ejus confirmationem patrata, aliaque innume-

numera, extrinsecus advenientia, quibus, adjuncta interiore gratia, excitamur ad bonum agendum, malumque fugiendum. *Interna*, quam solam ordinarie intelligimus per gratiam actualem, est internum, si-ve interius animum adficiens supernaturale auxilium transiens (i. e. non perdurans) quo Deus nos interius partim excitat, partim adjuvat ad bene, & salutariter operandum. Unde gratia actualis interna iterum subdividitur in excitantem, & adjuvantem. Gratia *excitans* est ea, qua interius excitamur a Deo ad bonum agendum, vel malum fugiendum, consistitque in illustratione intellectus, & regulariter etiam in pia quadam motione voluntatis, per quas *nobis adparet, quod latebat, & suave fit, quod non delectabat*, ut loquitur S. Augustinus (d). Porro illustratio illa, & delectatio sunt actus intellectus, & voluntatis necessarii, ac indeliberati, ad quos scilicet intellectus & voluntas determinantur a Deo. Unde a Conciliis & Patribus dicitur Deus illos actus operari in nobis sine nobis, quia in illis producendis non cooperamur libere, sed solum physice indeliberate. Gratia *adjuvans* est illa, qua Deus actu adjuvat voluntatem ad consentiendum gratiae excitanti, si-ve ad ponendum actum salutarem; salutaris enim consensus voluntatis est ipsissimus actus salutaris, ad quem gratia excitans allicit & stimulat voluntatem. Unde per gratiam adjuvantem hic non intelligitur gratia quomodocunque potens iuvare; sed illa, quae in actu secundo adjuvat. Et in hoc sensu nemo dicitur adjuvari, nisi etiam ipse agat, seu consentiat; ut clare S. Augustinus (e) ait his verbis: *Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.*

Potest

(d) L. 2. de peccator. merit. & remiss. c. 9.

(e) Sermone 13. de verbis Apostoli cap. II.

Potest autem gratia adjuvans sumi dupliciter. I. Pro actuali influxu, quo Deus cum voluntate humana producit actum liberum, & salutarem: & sic gratia adjuvans est realiter ipse actus salutaris. Quod enim ipsi etiam actus nostri salutares, & meritorii sunt aliqua gratia, apud omnes Catholicos certum est. II. Gratia adjuvans potest sumi pro auxilio, quod est natura prius ad actum salutarem, in quem hic & nunc actu influit: & sic gratia excitans, in quantum perseverat, dum actu ponitur actus salutaris, & ad hunc ponendum voluntatem corroborat, est simul gratia adjuvans.

25. Cum divisione gratiae actualis in excitantem, & adjuvantem ferme coincidunt aliae duae divisiones gratiae actualis, scilicet in gratiam operantem, & cooperantem; item in gratiam praevientem, & subsequentem; nam gratia operans & praeviens, eadem est cum gratia excitante; cooperans vero & subsequens non differt ab adjuvante. De utraque hac divisione mentionem facit S. Augustinus, de prima quidem in gratiam operantem, & cooperantem sic loquitur (f): *Ipse (Deus) ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* De posteriore in gratiam praevientem & subsequentem, exponens illa verba Scripturae: *miserecordia ejus praevient me: misericordia ejus subsequetur me*, sic habet (g): *Ut incipiamus, dictum est: misericordia ejus praevient me; ut perficiamus, dictum est: misericordia ejus subsequetur me.* Et inferius eodem cap. *Hominiis propositum bonum adjuvat quidem subsequens gratia: sed nec ipsum esset, nisi praecederet gratia.* Ex quibus verbis aliqui inferunt, juxta S. Augustinum gratia non subsequenter esse simul gratiam excitantem, & adjuvan-

(f) L. de Gratia & lib. Arbitr. c. 7.

(g) L. 2. ad Bonifacium c. 9.

juvantem , prout nimirum continuatur a Deo ad exe-  
quendum bonum hominis propositum.

26. Tridentinum (*h*) gratiæ praevenienti , & subsequenti addit tertium membrum dividens , scilicet gratiam *comitantem* ; ita enim loquitur. : *Quae virtus ( nempe Christi ) in ipsos iustificatos jugiter influit , bona eorum opera semper antecedit , & comitatur , & subsequitur.* De hac gratia comitante censent non nulli , illam esse eandem cum gratia adjuvante , & subsequente. Eadem enim gratia , quae adjuvat ad ponendum actum salutarem , dicitur *comitans* respectu talis actus , *subsequens* vero respectu gratiæ excitantis , seu praevenientis.

27. Praeterea gratia excitans subdividitur in gratiam mere sufficientem , & efficacem. *Mere sufficiens* est ea , quae dat quidem posse operari , sed non ipsum operari , sive quam Deus largitur cum praevisione quidem oriturae ex ea facultatis moralis completæ ad bene moraliter agendum , sed non conjungendi cum ea ipsius consensus creaturae in actum bonum. Gratia vero *efficax* est ea , quae dat non solum posse operari , sed ipsum operari , sive quae & sufficiens est , & a Deo confertur cum praescientia & voluntate simpliciter efficaci obtinendi consensus creaturae. An autem illa efficacia sit ipsi gratiæ intrinseca , dicemus suo loco (*i*). Interim tria adhuc hic observanda. I. Distinguendum est inter gratiam absolute , & relative sufficientem. Gratia *absolute sufficiens* dicitur , quae quidem in aliis circumstantiis & adjunctis , ac relate ad minores stimulos repugnantis concupiscentiæ in eodem , vel diverso homine sufficit ; hic & nunc tamen in concursu majoris concupiscentiæ ad vincendam tentationem , vel ponendum actum salutarem

C 2

non

(*h*) Sess. 6. c. 16. (*i*) V. infra num. 40.

non est sufficiens. Gratia vero *relative sufficiens* est, quae in his praesentibus adjunctis, & relate ad gradum praesentem intensionis motuum concupiscentiae repugnantis ad illa sufficit. Unde gratia tantum absolute sufficiens, seu suffectura solum in aliis adjunctis minoris gradus repugnantium motuum concupiscentiae, non autem sufficiens relative, seu relate ad praesentes stimulos concupiscentiae, est *gratia in praesens simpliciter non sufficiens*: sola autem *gratia relative sufficiens* est gratia vere sufficiens. II. Item distinguendum inter gratiam *proxime & remote sufficientem*. Sed de hac divisione plura suo loco (1): ubi etiam dabimus discrimen inter gratiam *remote sufficientem* intellectam sensu Catholico, & inter *gratiam parvam* Jansenii. III. Augustiniani, qui gratiam relative victricem defendunt, malunt admittere divisionem gratiae in efficacem, & inefficacem, quam in efficacem, & mere sufficientem. Verum de hac re pariter plura inferius (m).

28. Praeter allatas haecenus divisiones, notatu adhuc dignae sunt tres aliae, quibus gratia, dividitur, in *gratiam ex pura liberalitate*, quae scilicet conceditur quidem citra debitum, non tamen positive indigno; & in *gratiam ex pura misericordia*, quae conceditur positive indigno. II. In *gratiam Dei*, quae a Deo confertur absque respectu ad merita Christi; & in *gratiam Christi*, quam Deus nobis largitur intuitu meritorum Christi. III. In *gratiam sanitatis*, quae datur sanis, hoc est, nullo morbo aut vulnere originalis peccati afflictis; & in *gratiam medicinalem*, quae datur hominibus originalis peccati morbo corruptis. Unde gratiae, quae Angelis in statu viae ad beatitudinem positae, & quae Adamo & Evae adhuc innocentibus fuerunt collatae, erant gratiae ex pura liberalitate.

(1) Num. 163. 168. & 169. (m) Num. 174.

litate ; necdum enim per peccatum se iis gratiis positive indignos reddiderant ; erant gratiæ sanitatis , & juxta non paucos Theologos erant gratiæ Dei , non Christi ; docent enim isti , primas illas gratias Adamo & Evæ , uti & Angelis collatas fuisse independentes a meritis Christi. Econtra gratiæ , quæ primis illis parentibus post lapsum datae sunt , & nobis peccato originali corruptis defacto conferuntur , sunt gratiæ ex pura misericordia , gratiæ Christi , gratiæ medicinales.

Atque hæc de notione & divisione gratiæ interim dicta sufficiant. Quamvis enim multa præsertim de gratiæ actualis internæ supernaturalis natura adhuc dicenda restent , ea tamen aptius infra suo loco (n) indicabimus.

### §. X.

29. Porro observandum , naturam humanam in quadruplici potissimum statu in ordine ad gratiam considerari a Theologis. Primus dicitur *Status naturæ puræ* : est autem pura natura nihil aliud , quam homo philosophicus , id est , prout consideratur a Philosophis , scilicet ut est animal rationale , habens competentes sibi potentias internas , & externas , spirituales , & materiales , seu partem rationalem , ac superiorem , & sensitivam , seu inferiorem. Quamobrem natura pura duo involvit ; unum *positivum* , ut scilicet habeat totum id , quod ipsi naturaliter competit ; alterum *negativum* ; nempe ut nihil ipsi addatur indebitum , sive bonum , sive malum. Hinc I. Nullum in statu naturæ puræ peccatum supponitur , ac consequenter nulla poena , peccati comes : nullum insuper gratiæ supernaturalis donum. Quodsi autem homo sit in puris naturalibus , & absque peccato creatus ( creari enim cum peccato non potuit ; alioquin De-

C 3

us

(n) Num. 106. usque ad num. 117.

us foret auctor peccati) Creatorem suum graviter offenderet, eo ipso amitteret innocentiam sui status, adeoque esset tunc in statu naturae purae quidem, sed lapsae. II. In statu naturae purae homo non ordinaretur ad finem, & beatitudinem supernaturalem, seu ad visionem Dei intuitivam, & respondentem huic visioni amorem beatificum; quia ad hunc finem consequendum gratia supernaturalis requiritur, qualis in illo statu non daretur. Ordinaretur ergo tunc homo ad Deum, ut auctor naturae est, abstractive duntaxat cognoscendum & amandum. III. Homo in hoc statu (perinde ac nos defacto) morbis, corruptioni, & morti obnoxius foret, utpote compositus ex elementis contrariis, inter se pugnantibus; quamquam in eo statu haec omnia non essent peccati poenae, quemadmodum nunc sunt, sed naturae confectaria. IV. Ignorantia & error in eo statu etiam locum haberent; cum enim scientia studio & labore comparanda esset, patet, multa nos tunc ignoraturos, & in aliquibus decipiendos fore. Demum censent multi, etiam rebellionem concupiscentiae adversus rationem in statu naturae purae non defuturam; cum enim homo duabus partibus invicem pugnantibus, spiritu nempe & corpore constet, etiam tunc hanc pugnam appetituum, & adfectuum sentiret.

Ceterum, an status naturae purae modo descriptus possibilis sit, acerrima inter Theologos controversia est. Adfirmabant id olim communi fere calculo Scholastici: hodie autem multi possibilitatem hujus status negant, praesertim Augustinianae scholae Theologi, quamvis ex fundamentis a doctrina *Baii* diversis, & necdum ab Ecclesia reprobatis. Scopus praesentis nostrae Dissertationis non postulat, plura hac de re dicere. Illud solum certum est, statum naturae purae defacto nunquam fuisse datum; cum homo in hac providentia ad finem supernaturalem conditus sit.

30. Alter status dicitur *status naturæ elevatæ & integræ*. Hic status præter negationem peccati, elevationem ad finem seu beatitatem supernaturalem, & plura alia dona, præcipue importat triplex aliud donum; nempe gratiam sanctificantem, subjectionem perfectam appetitus sensitivi ad rationem, & immunitatem a morte, morbis, doloribus: quæ omnia S. Thomas complectitur sub nomine *Justitiæ originalis*. In felici hoc statu conditus fuit Adam.

31. Tertius *status est naturæ lapsæ & corruptæ* per peccatum Adami, vi cujus amisimus justitiam originalem, & incurrimus odium, iram, & indignationem Dei. *Omnes enim*, teste Apostolo ad Ephes. 2. *eramur natura filii iræ*, dum nasceremur, privati gratia, obnoxii peccato, & etiam post baptismum experimur poenam peccati, rebellionem concupiscentiæ, mortem, ceterasque hujus vitæ miserias.

32. Quartus est *status naturæ per Christum reparatæ*, in quo per merita Christi liberamur a noxa peccati originalis, ceterisque actualibus, atque restitui mur gratiæ sanctificanti, & primævo illi juri ad æternam felicitatem; sic tamen, ut non omnia per peccatum Adami inflicta vulnera sanentur; sed omnes fere poenalitates, ignorantia, rebellio concupiscentiæ, morbi &c. in nobis remaneant ad exercitium virtutis.

